

orationis venit clausula, universas petitiones et preces nostras collecta brevitate concludens. In novissimo enim ponimus, sed libera nos a malo, comprehendentes adversa cuncta, quae contra nos in hoc mundo molitur inimicus; a quibus potest esse fida et firma tutela, si nos Deus liberet, si deprecantibus atque implorantibus opem suam praestet. Quando autem dicimus, libera nos a malo, nihil remanet, quod ultra adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei adversus malum petamus; qua impetrata, contra omnia, quae diabolus et mundus operantur, securi stamus et tuti. Quis enim ei de saeculo metus est, cui in saeculo Deus tutor est? Quid mirum, fratres dilectissimi, si oratio talis est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breviavit? Hoc jam per Esaiam prophetam fuerat ante praedictum, cum plenus Spiritu Sancto de Dei majestate ac pietate loqueretur: Verbum consummans, inquit, et brevians in justitia, quoniam sermonem breviatum faciet Deus in toto orbe terrae. Nam cum Dei sermo Dominus noster Jesus Christus omnibus venerit, et colligens doctos, pariter et indoctos, omni sexui atque aetati praecepta salutis ediderit, praeceptorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina coelesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret. Sic cum doceret quid sit vita aeterna, sacramentum vitae magna et divina brevitate complexus est, dicens: Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant Te solum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Item cum de lege et prophetis praecepta prima et majora decerneret: Audi, inquit, Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Et diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et de tota anima tua, et de tota virtute tua: hoc est primum mandatum. Et secundum simile est huic: Diliges proximum tuum tanquam te ipsum.